Caj. 29-680 Ar 21323

AFFECTVS FIDELITATIS,

SEV

VIVI AMORIS EFFECTVS

AD CATHOLICOS

HISPANIÆ REGES

FERDINANDUM,

ET

MARIAM BARBARAM;

PRO REGIA EORUM EXALTATIONE.

CONDISCIPVLI GERMANI

IN SCHOLARUM PIARUM

CÆSAR-AUGUSTANO COLLEGIO

HAS IPSIS CONSECRANT

ELEGIAS

D. ANTONIVS DOMINGVEZ,

ET

D. LINVS DOMINGVEZ.

ELEGIA I.

AB ANTONIO DOMINGVEZ,

DECIMUM TERTIUM ANNUM AGENTE.

QUi citharam pulſans, affectus cõmovet omnes;
Auxilium præſtet magnus Apollo mihi.
Aonides ſacræ mulcentes pectora vatum,
Vos præcor, ut dicam *Principis* acta Pia.
Gloria tota ſimùl Regni, ſpes omnis amoris
Ferdinandus adeſt, vivat in Orbe Pius.
Præbita ſunt iſti, quæ captant corda clientum;
Herculeum robur, nobile cor, pietas.
Magnanimos cunctos vicit virtute Philippus;
Sed numerum ſextum tangere non valuit.
Nunc *Ferdinando* ſextus completur abunde;
Et ſoboles perſtat gloria clara Patris.
Si gentes multum deflebant morte Philippi,
Jam lachrymis parcunt, ſceptra tenente Satõ;
Cum videant iſtum mittem, clamoribus ajunt:
En Pater Heſperiæ, dulce levamen erit.
Quid mirum pueri mecum modulamine cantent;
Jam vivat, vivat tempus in omne placens?

Vivat, & omnipotens fundens ſibi munera larga,
Formoſam ſobolem non neget ille Pius.
Vivat, & in noſtris ſemper dominabitur oris,
Taliter, ut poſsit ſubdere Regna nova.
Barbara fida ſibi, multos dilecta per annos
Vivat, & in noſtro pectore regnet ovans:
Hæc faciat fauſtum te pulchra prole Parentem,
Ut ſit poſt mœſtos una ſerena dies.
Sic erimus cuncti felices pignore tanto,
Et populi capient gaudia multa ſimùl.
Hinc veniet nobis tutamen *Maximé Princeps*:
Hinc Regno dabitur plauſus, & omne decus.
Ferdinande tuum nomen celebrabimus omnes,
Ut quæ corde latent, monſtret honoris amor.
Tu quoque corda tenes affectus vincta catenis,
Et tuus alliciens pectora captat amor.
Cum Pauper mœrens adventat, munera poſcens,
Os, lachrymis cernens, tu quoque triſtis ades;
Protinus admotus divino flamine Cœli,
Blandas in vacuum *non ſinis ire preces.*
O patriæ jam ſola ſalus miſerere ſuorum!
Qui mœſtis precibus, proſpera regna petunt;
Hi ſunt affectus, quos exprimit ictus amoris.
Effectus cordis? Gaudia, tuta fides.

Hanc

Hanc tibi ſacramus pueri cum pectore toto,
Quos *Schola* docta docet gratis ubique *Pia*:
Tu Pius in noſtras digneris vertere vultum,
Cum pietate *Scholas*, quas regit *Alma Parens*;
Omnes Hiſpani tua certè ſigna ſequentur,
Quorum præſidio cantica læta dabunt.
Tempora cingaris lauris, quoque pectora gemmis;
Detegat, & corpus purpura picta roſis.
Vexillum volitans tenues pandatur in auras,
Gens tua dicat *IO*, ter geminetur idem.
Tu Rex illuſtris curru victore veharis,
Ante pedes jaceat gens inimica tuos:
Hæc ſunt, quæ grato tibi conſecro pectore *Princeps*;
Non opis eſt noſtræ reddere plura: *vale*.

ELEGIA

ELEGIA II.

A LINO DOMINGVEZ,

UNDECIM ANNOS NATO.

AUricomus Titan noſtro ſplendeſcit Olympo,
Qui tenebras pellens, cuncta calore fovet.
Arida frondeſcunt viridanti gramine prata;
Et roſa jam ſpargit pendula rore comas.
Turgida fragrantes jam flores pullulat arbor,
Et pendent ramis pondere poma ſuo.
Lumina, quis Phœbus retinens fulgeſcit in Orbe,
Ut fulgore ſuo cuncta micare canam?
Quis radios demittit, ut arida prata vireſcant,
Et flores ducant arbor, & omne virens?
Quis? *Ferdinandus* radiat, velut alter Apollo;
Hic perſtat Phœbus cuncta calore movens.
Quid? Phœbus dixi? Plus eſt quam Phœbus Olympi,
Rex fovet, auget ovans munera, corda ſimùl.
Ac veluti medium cum Sol diſcurrit in Orbem,
Altior aſcondens, ſummaque parva videt:
Sic Ferdinandus *Sol-io* dum conſidet alto,
Maxima cum minimis conſpicit ipſe vigil.

Indè

Indè regit totum recto moderamine Regnum;
Quemque suis monitis jura tenere facit.
Indè tenens sceptrum, subjectis parcere discit;
Dejicit elatos, pectoris ima notans.
Indè pares æquè sortes partitur in omnes;
Et pansis manibus quilibet æqua capit.
Providus ergo parat vigilanti reddere cura;
Jus firmum meritis, præmia quæque viris.
En animus noster tibi sæcula grata per optat,
Ut valeas lauro, cingere flore caput.
Mundus ob hoc gaudet, Populus perstare videtur,
Lætitiæ plenus; plebs quoque fida tibi.
Pascitur in nostris teneris incensa medullis
Flama micans semper, qua cummulatur amor.
Hæc tibi dum vivas ardentia lumina pandet,
Te tamen extincto fulgura nulla dabit.
Barbara luna nitens, quæ nostro splendet in Orbe;
Lumina multiplicet, nebula quæque fugans.
Cum tonet, & fulmen jaculetur Rector Olympi,
Irim de Cœlo *Barbara* mittat ovans.
Nos tua gens, cujus tutamen quærimus omnes,
Poscimus, ut vivas pectore, corde, prece.
Progeniem longos videas Regina per annos,
Et flos, quem dederis germinet altus humo.

Vivite

Vivite felices, quibus alta Corona paratur,
Perpetuo cingant tempora vestra rosæ.
Vivite : nam Regno cummulatur tempore vestro
Gloria, fama, decus, pax quoque, tuta fides.
Vivite : nec vitæ valeat perrumpere fila
Crudelis Clotho, singula falce metens.
Hoc animus fidus vobis desiderat omnis,
Hoc avidè poscit, carmina grata canens.

FINIS.

Cæsar-Augustæ : In Typographia Francisci Moreno.
In Vico vulgò dicto *de la Cuchilleria*.